

124

122

128

118

133

113

173

073

223

023

Ende

Anfang

113

Rosetum.

Vicesima secunda die aurora illucescente solvimus navem et in portum Roseti navigavimus ibique facto ponte de navi ad littus res nostras eportare volebamus, sed nautae nostri nolabant quidquam nobis dimittere, nisi prius essent soluti, cumque diceremus, quod Tanguardinus Trutschelmannus Cairinus haberet eorum pecuniam, deriserunt nos dicentes, se conductos ab eo ad nostram solutionem et quod nihil eis tradidisset. Post multas ergo rixas, quas cum eis habuimus et inter nos, iterato naulum solvimus cum parva patientia, quidam enim erant duri, quos vix induximus, ut darent suam portionem; consilium eorum fuisset, ut cum illis rediissimus navigio Cairum et illum nequam Tanguardinum accusassimus apud Soldanum de injustitia, sed consilium hoc videbatur majori parti peregrinorum non utile, imo periculosum nostrae vitae, ideo melius judicavimus pecunia vexationes illas redimere. Et ita solutis nautis et aportatis rebus nostris ad littus ductores nostros licentiavimus, qui cum nave ad propria reversi sunt.

Sedimus ergo ad murum civitatis ante portam, quae nondum aperta fuerat, quia adhuc mane erat et tempus quietis Sarracenorum, et deliberavimus cum Halliu, quod quam statim porta aperiretur, intrarent aliqui cum eo et camelos aut asinos conducerent, quibus nos et res nostrae in Alexandriam veheremur, non enim poteramus ulterius per rivum descendere, quia ab hac civitate non est navigabile brachium, hoc Nili, quod possit per eum in mare descensus fieri, et de navigabili alveo exiveramus illa nocte, ut ad illam civitatem veniremus, quia in ea copia bestiarum camelorum et asinorum semper invenitur, quibus ducuntur alieni Christiani ad Alexandriam, carent enim omnibus modis, ne ducant Christianos per alveum navigabilem usque ad ostium, ubi mari influit et hoc ideo, quia credunt nos exploratores terrae. Ne ergo fluminis via de mari fiat nobis nota, ad duo vel tria millaria supra ostia Nili deponunt eos, siquidem VII ostiis Nilus mari illabitur, sed non omnes alvei sunt navigabiles, ut patebit. Halliu ergo cum quibusdam peregrinis ingressus civitatem pro camelis et asinis conducedis, sed non unum camelum nec asinum nec equum invenerunt in tota civitate, cunctae enim bestiae ad onera portanda

